

/ Illustrissime, et Reverendissime Domine. Quod Illustrissima

Dominatio Vestra mihi sancte promittit per literas suas; ego multo ante verbis meis promisi Summo Pontifici, fretus optimis moribus, et praeclaro ingenio, quibus praeditam esse personam vestram a pa-

5 tribus Societatis nostrae didiceram. Quare, ut in extremo iudicio non confundamur, cum princeps pastorum apparuerit, et rationem de commissis ovibus reposcere coeperit, necesse est ut Illustrissima D. Vestra serio primum sacrae theologiae doctrinis pectus suum compleat: deinde quod didicerit, doceat studio infatigabili; nec solum

10 verbo, sed etiam exemplo populum suum pascat, et regat. Et quemadmodum ego, ut Summum Pontificem confirmarem in sententia demandandae pastoralis curae Illustrissimae D. Vestrae, quamvis adhuc adolescenti, in exemplum adduxi S. Ludovicum episcopum Tholosanum; sic etiam par est, ut Vestra Illustrissima D. in eundem sanctum Ludovi-

15 cum oculos figat, eiusque adolescentiam planè senilem et severam imitetur: vel, si recentiora malit, in Sanctum Carolum Borromaeum respiciat, qui anno aetatis suae vigesimo secundo archiepiscopus Mediolanensis creatus, super senes intellexit, et incredibili splendore ecclesiam universam illustravit. vel si forte de suis vicinis

20 exemplum requirat, habet B. Petrum Luxenburgensem, qui annorum quindecim cum esset episcopus Metensis declaratus, ita se gessit, ut miraculis a Deo post mortem glorificari meruerit. Ignoscat Illustrissima D. Vestra, si nimis audacter admonitoris et cohortatoris officio fungi videar: fateor enim me non sine timore et tremore co-

25 nsilium dedisse Summo Pontifici, ut adolescentem, quamvis alioqui lectissimum et optimum, ad clavum ecclesiae regendum proponeret: multa enim, et magna pericula imminet adolescentibus in sublimi ho-

4. norum et nobilitatis fastigio constitutis. Accipiat igitur Illustrissima D. Vestra in bonam partem ea quae dixi, quoniam ab animo optimo, et cupidissimo salutis et gloriae vestrae proficiscuntur; et mihi, si qua in re utilem operam meam sibi esse iudicaverit, liberè iubeat. Romae die 14. Maii 1611. / Ill^{mae} et R^{mae} D. V.

frater et servus in Christo / Robertus Card. Bellarminus